



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

V. Modum deinde præscribit utendi Pallio, ut iret obviam ambitioni Virgilij, ne is Pallio illo ceu quodam indumento quotidiano uteretur. Habuit posterioribus temporibus hoc privilegium Hincmarus ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

S. Gregor. lib. 4.
cap. 55.

Childebertum: *Vnde & gratanter ea que scripsistis accepimus, & que voluistis animo libenti concessimus; atque ideo fratri nostro Virgilio Arelatenfis civitatis Episcopo vices nostras juxta antiquum morem & excellentia vestre desiderium Deo favente commisimus; cui etiam & Pallij usum, sicut prisca habuit consuetudo, concessimus.* Item in epistola ad Episcopos in regno Childeberti constitutos: *Opportunum esse perspeximus in Ecclesiis que sub regno precellentissimi filij Childeberti Regis sunt secundum antiquam consuetudinem fratri nostro Virgilio Arelatenfi Episcopo vices nostras tribuere.*

Id. epist. 52.

III. Iam antea multoties observavimus necessariam fuisse promulgationem hujus privilegij, ne quis se juris ignorantia tueri possit. Ea de causa Gregorius, præter epistolas ad Virgilium & ad Childebertum scriptas, alias dedit ad Episcopos qui sub regno Childeberti erant, ob necessitatem publicandæ legis, ut diximus. Eodem tempore ad illos scripsit de potestate quæ Virgilio competeat tanquam Vicario sedis apostolicæ, in judiciis nimirum episcopalibus, congregatione Conciliorum generalium, majorum causarum relatione ad sedem apostolicam, de literis formatis ab illo accipiendis. Sed hoc postremum caput præcipuè urget, respiciens haud dubiè ad rescripta Zozimi, Symmachi, & Vigilij. Ait enim: *Hoc etiam vos pariter previdimus admonendos, ut nullus vestrum ad longinquiora loca sine presati fratris & coepiscopi nostri Virgilij auctoritate tentet aliquo modo proficisci; scientes quia & predecessorum nostrorum, qui vices suas ejus predecessoribus commiserunt, sic procul dubio mandata definiunt.*

IV. Redeamus nunc ad Virgilium. Ad illum itaque scribens Gregorius de variis disciplinæ capitibus, flectit rursus ad concessionem Pallij & vicium suarum: *Itaque fraternitati vestre vices nostras in Ecclesiis que sub regno sunt precellentissimi filij nostri Childeberti juxta antiquum morem Deo auctore committimus. singulis siquidem Metropolitibus secundum priscam consuetudinem proprio honore servato.* Hic locus non est leviter prætereundus. Etenim Gregorius sic vices suas juxta antiquum morem committit Virgilio, ut tamen singulis Metropolitanis secundum priscam consuetudinem jura sua servari velit. Quod à Pontificibus Romanis observatum fuisse vetustis temporibus, cum vices suas cuiquam tribuerent, observat alibi ex Hincmaro illustrissimus Archiepiscopus. Videndum ergo quid sibi velit hoc loco Gregorius. Neque enim hinc colligi potest nihil auctoritatis ab eo tribui Virgilio supra Metropolitanos, cum constet illum accepisse potestatem super omnes

Marca in Tb. de
Primariis. 5. 51.

Episcopos in regno Childeberti constitutos. Intelligit ergo Gregorius, sic usurum auctoritate ista extraordinaria Virgilium, ut tamen Metropolitanis relinquat ordinationes Episcoporum secundum veterem morem. Sed hic mos explicandus est ex epistola sancti Leonis ad Anastasium Thessalonicensem; ex qua colligitur servandas quidem esse Metropolitanis ordinationes comprovincialium Episcoporum, sed eas celebrari non posse extra conscientiam Vicarij, ut supra adnotavimus.

V. Transfit deinde Gregorius ad concessionem Pallij, modum præscribens utendi. *Pallium quoque transmisisimus, inquit, quo fraternitas tua intra Ecclesiam ad sola Missarum solennia utatur.* Timebat fortassis ne Virgilius, ut humanum est ambitione labi, Pallio ceu quodam quotidiano indumento uteretur ad fastum & ad ostentandam auctoritatem suam. Hic Gregorij metus se prodere videtur in initio illius epistolæ, in qua sic legitur: *Abstine aut transitoria potestatis culmen aut exterioris cultus ornamentum in vicibus nostris ac Pallio que sisse te suspicer.* Habuit posterioribus seculis hoc privilegium Hincmarus Remensis Archiepiscopus, ut ei liceret, si vellet, uti quotidie Pallio; ut refert Flodoardus. Sed ipse in epistola xxxvi. ad Nicolaum Papam scribit eo privilegio usum non fuisse, quod ad aliud illum oporteret tendere & de aliis cogitare quàm alicui pompæ ac ostentationi applaudere. Privilegia porro sibi concessa à Summis Pontificibus ea de causa petiisse se, ut hac novitate carnales & animales homines, apud quos veteres constitutiones jam quasi pro vili habebantur, ut ipse ait, terri, reverentius se erga Remensem Ecclesiam haberent. Hæc sunt ejus verba ex ejus epistola ad Nicolaum Papam: *Privilegia autem sedis apostolicæ non ideo petij ut mihi non sufficeret quod sacri canones & decreta sedis Romane Pontificum cuique metropoli concedunt.* Et nonnullis interjectis, ait se privilegia illa petiisse, *ut quia veteres constitutiones jam quasi pro vili apud quosdam habentur, his novis decretis carnales & animales homines terri quiddam reverentius contra Ecclesiam indignitati meæ commissam agerent.*

VI. Illud postremò annotandum est in epistola Gregorij ad Virgilium, quod cum superiores Pontifices causarum judicia indefinitè commisissent Episcopis Arelatenfibus, cum competenti numero collegarum, iste numerum Episcoporum judicum, haud dubiè quo minor esse non possit, decernit esse duodecim. *Si qua verò inquisitio de fide, inquit, vel fortasse aliarum rerum inter Episcopos causa emerferit, que discerni difficilis possit, collectis duodecim Episcopis venietur atque de-*